



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 1. Aquarium exorbitandum pericula, damna, vituperia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

aquarum damnis, laudabilem esse. 182

iniquè plectat vndis? cùm sit Dominus  
vtriusque elementi.

### C A P V T . VIII.

*Aquas mortalibus nocentes, esse Dei iu-  
stissimè punientis instrumenta; ac sèpe .I.I. in O.  
etiam velut iudicia, quibus mali à bonis .M. in M.  
discriminantur; sed cum iudicio,  
& nonsine delectu agno-  
scenda.*

§. I.

*Aquarum exorbitantium pericula;  
damna, vituperia.*

**H**inc ad tertiam querelam respon-  
sio datur, quæ duabus prioribus  
suapte natura cohæret. Quippe  
si aquæ sunt, quæ possunt sanita-  
tem lädere; si diluuiia, quæ valent in damna  
hominum excurrere; proclive est cogitare,  
& illas reipsa, & ista nocere; enim uero, et-  
si, meru ipso, grauiter affligant humanam  
solicitudinem, tamen insuper etiam & fu-  
nera facere, atq; alijs extremis malis terræ  
incolas mactare: & eos, qui ad naues con-  
fugiunt, allidere, scopulisque inferre peri-  
turos. Neque enim *sata lata boumque labores,*  
& jumenta dūtaxat diluuijs, sed etiam tota  
ædifi-

ædificia , & ipsa denique procellis nauigia  
fatigantur, & fatiscunt. Tum si quidam a-  
quam & fluctus ratibus vincunt, non vin-  
cunt inediā.

**Ouid. l. I.** *Maxima pars undâ rapitur: quibus undâ*  
**Metam.** *pepercit,*

*Illos longa domant inopi jeiunia vicitu.*  
Audiui sæpe disputantes , plûsne aqua sa-  
niat diluuijs exundans, an flamma incêdijs  
iuualeſcens? Aiunt, qui oculis & incendia,  
& diluuia æſtimârunt, aquarum vim esse  
longè violentiorem ; neq; esse artem, indu-  
ſtriam, aut laborem vllum , qui possit tor-  
rentis furorem repagulis coercere. Ignem  
aqua domat, aut refrænat. Aquâ ignis nul-  
lus exſiccat inundantem. Si flamma in ædes  
& vrbes dominatur, patet exitus in plateas,  
fuga in campos ; si flumina ſe non cõtinent,  
ripis , fit terra ipsa, ſiue intra , ſiue extra-  
muros ,

*Pars maris , & latus ſubitarum campus*  
*aquarum.*

Quanti tunc ſerum gemitus , quantus ju-  
uenum ploratus, quantus virorum clamor,  
quantus feminarum existit vlulatus ? Ha-  
voceſ ſunt accusations ; & quot lamenta,  
totidem audiuntur argumenta. Merguntur  
homini-

homines , merguntur naues ; illorum & istarum exitium, apud insipientes, est diuinæ bonitatis naufragium; nam, quia id male factum césent, aiunt, factum, quod Devs imperauit.

§. II.

*Homines ipsos primam esse caussam, ut aquis exorbitantibus puniantur.*

Si quis igitur scire cupit, cur Devs istarum rerum sit author ? respondeo in primis potius peccatorem, quam Deum harum esse rerum authorem. Nam indidem poenæ, unde culpæ est origo. Rectè igitur dici potest poenæ author, qui est author culpæ. Nō enim Devs puniret, si homo non peccaret. Quoties itaque, in poenam, inundationes fluminum, eluuiones marium, aut imbrium cataclismi contingunt, non Devs judex, sed homo reus est accusandus, qui diuinæ iræ justitiam in caput suum prouocauit. Quid enim? an ignis non noceat nocenti? *Vindex Sapi. 16.* est orbis instorum, & non sit vindex Conditoris? quem iam dudum negantes nosse impij, per fortitudinem brachij illius, flagellati sunt: nouis aquis, & grandinibus, & pluvijs persecutionem passi. Utuntur impij aquis, contra Bonfui Dei milites, & non utatur aquis Devs, pro us. lib. 7. suis